

Illorum cum alijs communes obligationes.

Cum solvunt nihil possunt pro eo accipere.

Circa obligationem restitutionis quid sentiant Auctores.

Extare illa conclusur.

Vanus qui dant respectus donationis excludit.

mos exigit tractatores. De illis ergo eadem dicenda, quæ de maioribus Rationariis dicta sunt quantum ad ea, in quibus eorum officia conveniunt, diligentiam inquam, sumptus, sententias, commissiones, coniugia &c. Quoad munera autem acceptationem nihil expressum deprehendi, licet ordinationes Regias pro illis perlegerim. Et ita generaliter loquendo non videtur illis prohibita, quantum de illa, cum aliqui Doctoribus agitur, si videlicet eo intuitu conferantur. Et id esse illicitum, & grave peccatum, communiter Auctores tenent, quia ad solutionem talem sunt in conscientia obligati, & pro huiusmodi exercitio sui officij proprio salarium accipiunt: ergo nequeunt quidquam ulterius accipere. Vide P. Molinam *Disput. 83. & Disput. 88. in principio.* & Cardinalem Lugo *Disput. 37. de iustitia n. 123.* Circa restitutionis autem obligationem dubium esse potest. Circa quod censent aliqui illam non extare quando munera gratis offeruntur, gratis inquam; quia Officiales dicti nullam eo usque difficultatem in soluendo ostenderunt. Si videlicet ea liberalitate eis dentur, quæ intra limites donationis sit satis ad transferendum dominium, & stare potest non solum quando ex amicitia, & gratitudine procedit, sed etiam, ut afficiatur Regius minister ad bene negotium expediendum. Sic P. Molina *Disput. 88. citat.* etiam lex adit, quæ id prohibeat. Quod & sequitur P. Fragoſus *Tomo 1. pag. 921. num. 4.* & colligitur etiam ex citandis statim, qui scilicet afferunt obligationem esse restituendi, quando Quæstores difficiles se exhibent, & tergiversantur sperantes se aliquid accepturos. Sic Nauarrus, P. Reginaldus, P. Valquez, & P. Rebellus, quos adducit & sequitur Bonacina *Disput. 1. de Restitutione, Quæst. 3. Puncto 2. num. 7.* Videntur ergo sentire talem obligationem non esse quando Quæstores nullam difficultatem præferunt.

13 Sed ex omnium prædictorum mente videtur dicendum ministros tales ad restitutionem teneri: fatentur enim ad dominij translationem in casu dicto eam rationem voluntarij requiri, quæ gratuitam faciat, & ita propriam donationem; atqui talis non est: ergo non transfertur dominium, & per consequens obligatio perstat restitutionis faciendæ. Maior constat, & Minor ostenditur: quia nullus nisi intuitu tribuit, non tributurus, si sciret debitum sibi opportunè soluendum: ergo nõ est ratio voluntarij ad translatione dominij necessaria. Antecedens constat experientia; unde qui dato pretio solutione obtinent, Quæstores vocat latrones. Ex quo est clara consequentiam ex ratione quando est aliqua difficultas, aut tergiversatio, non est propria donatio, quia tantum est redemptio vexationis. Quod si illa nõ apparet, cum aliquid datur, timetur tamè & de illa dubitatur, unde ratio est eadem, quia idem est fundamentum inuoluntarietatis. Unde quod ait P. Molina de amicitia, & gratitudine, locum in præſenti non habet, ut constat. Respectus autem ille, ut afficiatur Regius minister ad negotium diligenter expediendum, supponit equidem non ita affectum: ergo redimit quis suam etiam in eo vexationem. Quis enim actum agat, & bene affectum, ut bene afficiatur pergat obtinere?

Non ergo loquitur citatus Auctor de tributo munere, ut communiter contingit, iuxta quod est iudicandum, sed de casu singulari, in quo quis expressam eam habeat voluntatem donandi, etiam si lege prohibeatur, iuxta quem non est generaliter iudicandum, sed iuxta id, quod ordinariè contingit, ut Auctores communiter docent. P. Th. Sancius *Tomo 1. Moralium consiliorum in fine.* Cardinalis Lugo *Disput. 37. de iustitia num. 109.* & in specie casus nostri P. Valquez *Tractat. de Restitutione Cap. 7. num. 40.* ait quod dum contrarium non constat, semper est præsumenda violentia. Idem sententiam istam absolute tenet Bartholomæus de Medina in *Inſtructione Hispana de Sacramento Penitentiæ Pag. 223. s. 3.* P. Rebellus *part 2. lib. 18. Quæst. 20. in fine,* qui non bene citatur à Bonacina pro eâ tantum assertione, quæ vellet obligationem tantummodo restitutionis extare cum se difficiles exhibent Quæstores; absolute enim loquitur, nec talem limitationem apponit, sicut nec P. Valquez videndus *num. 38. & 39.* junctis iis, quæ habet *num. 126.* videant ergo Officiales Regii inter quas sunt angustias eorum conscientia constitutæ.

CAPVT III.

De negotiatione cum Regiâ pecuniâ, & emptione eorum, quæ in subhastatione venduntur.

14 Inquiri præterea circa illos potest an possint cum Regiâ pecuniâ negotiari? supponendo omnem ab illis securitatem adhibendam, ne villo modo illa dispendium aliquod patiatur; nam si periculum dispendij sit, res extra omnem est controuersiam, quandoquidem neque cum pecuniâ priuati cuiuspiam id fieri potest. Quia verò dici potest grauem audaciam videri pecuniam ex Regiis arcibus extrahi ad negotiandum cum eâ, & lege prohibitum sub penis grauissimis, de quibus Ordinari. 7. id temperari potest, si non extrahatur, sed cum includendâ adducitur, extra illas relinquatur, fide acceptationis afferentibus datâ. In quo quidem, si addatur hoc etiam lege prohibitum, ut videri potest apud D. Solorzanum in *Politica pag. 1026. s. X. per tract. & in citata ordinatione.* Occurri potest legem illam in præsumptione fundari, periculû inquam dispendij; quod si cesset, obligatio cessabit, iuxta communem sententiam de legibus in præsumptione fundatis, de quo non semel dictum. Nihilominus dicendum est in eo grauius peccare: cuius ratio est manifesta; quia est vsus pecuniæ intuitu Domino: voluntas enim Regis satis in legibus expressè habetur, tum juris communis, de quibus P. Fragoſus *supra num. 3.* tum Regni, de quibus dictum. Licet autem hoc ita sit, lucrum ex tali negotiatione proueniens sibi possunt retinere, quia est fructus industriae, & non naturalis, aut mixtus. Quod quidem iuxta communem doctrinam procedit, quæ id in fure etiam admittit. Pro quo videantur Bonacina *Disput. 1. de Restitutione, Quæst. 3. Puncto ult. s. 2. in principio.* P. Lessius *Lib. 2. Cap. 12. Dub. 17.* Cardinalis Toletus *Lib. 5. Cap. 35.* P. Gaspar Hurtadus

Quæ uultur ostendere licitâ esse negotiationem cum Regiâ pecuniâ.

Contractus naturalis.

Enunciari tamen sibi.

Leges prohibentes nõ fundari in præsumptione.

Vel præsumptione numquam cessare.

Sicut in præcepto nõ intrandi Religiosa cubicula.

Prohibitio emendi que ex bonis Regiis sub hâllâ venduntur.

Quando obligatio restitutio ex impeditione licitatum.

tadus *Disput. 6. Difficult. 6.* & quotquot de Restitutione agunt, aut speciali tractatione, aut de iustitiâ & jure disputantes. 15 Ad id autem, quod de præsumptione dicebatur, negandum est quod assumitur: licet enim periculum nullum dispendij sit; non vult tamen Rex patrimonium suum negotiationibus suorum Officialium deseruire, quando neque Rex ipse illas in suam vult utilitatem institui: sed illos suo officio diligenter incumbere, neque ad alia distrahi, ex quibus sui patrimonij cura negligatur. Et ut demus in præsumptione fundari: talis præsumptio numquam cessat; licet in hoc aut illo periculum non sit: quod tamen non ita contingit, cum contrarium experientia comprobatur: est tamen periculum in eo, quod exemplum huius sequetur alter, & illius alius; & sic grauius dispendia Regium patrimonium perpetuetur. Quando autem præsumptio non est tantum facti, sed periculi, quod communiter euenit, non currit doctrina illa de præsumptione, ut cum P. Suario, P. Salas, Bonacina, & Basilio Legionensi docet P. Palaus *Tomo 1. Tractat. 3. Disput. 1. Puncto 8. num. 13.* Ex quo inferunt eodem Basilio obligare in Religione præceptum non intrandi in aliena cubicula, etiam si in speciali huius ingressu nullum sit inconueniens, quia generaliter illa esse solent, & iuxta generalem experientiam leges & præcepta feruntur. Sed quia erit forte aliquis, qui hoc penitus non admittat, in casu nostro addendum non solum communiter accidere id, quod lex præsumit, sed semper esse periculum, ob rationem dictam: & ita circa id omnes debent conuenire. Sin minus vix erit lex vlla, quæ vim habeat, quia omnes ad præsumptiones reuocari possunt, & ita earum efficacia profus enervari.

16 Habent item prohibitionem expressam non emendi sibi aliquid eorum, quæ ad Regium patrimonium spectant ob confiscationem, aut aliter, & subhastatione venduntur. Circa quod etiam grauis extat prohibitio pro Rationalibus maioribus, ut patet ex eorum *Ordinatione 49.* inter priores, vbi & omnis illis contractatio prohibetur. Et non videtur negari posse quin grauius peccent, & ad restitutionem teneantur, si aliquem submitant, qui suo nomine emat, & per eum, aut per seipsum emptores impediatur alios maius daturus pretium, ut ipse viliori possit obtinere. Licet enim aliquorum sententia sit id esse licitum: de quo Diana *Parte 1. Tractat. 8. Resol. 76.* & nos aliam, scilicet *Titulo præced. num. 43. & seqq.* quia dummodò pretium iustum sit, licet infimum, quod ex eo minus habet rei Dominus, fructus industriae ac diligentia est. In Regiis tamen Officialibus res aliter se habet; quia tenentur Regium patrimonium ita administrare, ut eiudem utilitati, non propria, consulant: idque non solum ex fidelitate, sed etiam ex iustitiâ commutatiua, quia sunt ministri salariati, & manifestum est Regiam voluntatem esse, ut ea, quæ ad se spectant, commodiori sibi vendantur pretio, sicut & quibus alius rei Dominus, cum eam vendendam alicui tradit, qui absque dubio ad restitutionem tenetur, si cum possit maiori pretio vendere, viliori vendat. Pro quo est *L. Diligenter. D. Mandati.* Et videri potest Bonacina *Disput.*

1. de Restitutione, Quæst. 2. Puncto 6. num. 13. vbi alios, & omnes quidem è Societate, adducit Auctores. Videantur dicta citato loco.

CAPVT IV.

Dux aliæ obligationes. Et difficultas specialis circa earum vnam, cum iustio Proregis vrget.

17 Aliâ etiam prohibitionem cauetur, ne militum stipendia alio quam pecuniâ soluant, de qua, sicut & de præcedenti, Dom. Solorzanus *Pag. 5. citatis num.* 14. Et verò non sine vrgenti ratione: nam cum ingenti miserorum incommodo mercimonium exercent, & audis stipendij res, quo volunt pretio, ingerunt, Deo, Regi, Reipublicæ multipliciter infideles. Vbi & præter graue peccatum obligatio est restitutionis aperta, quandoquidem stipendiarij tales detrimenta pretio æstimabilia patiuntur iniuri, & tolerant; ut suam redimant vexationem. Vbi quidem non sit satis, si id, quod de pretio est auctum, tribuatur: ut si linteum sex regalibus emptum, iuxta octo æstimationem datum sit, ad constituendam æqualitatem tribuantur duo: potest enim contingere ut plus aliquid debeatur. Si enim miles non ita indigebat linteis, & illud viliori pretio, ut aliud magis sibi necessarium compararet, vendidit; totum illud compensandum est detrimentum. Si cum deberet soluere pecuniam, pro quo stipendium sperabat, eâ non acceptâ, aliquid à creditore illi grauamen illatum: pro illo etiam faciendâ satisfactio, & sic pro alijs, quæ iuxta rerum circumstantias consideranda, quando huiusmodi homines de componendâ conscientia per misericordiam Dei magnam pertractant.

18 Nequeunt insuper pro quacumque, etiam publicâ, necessitate pecunias extrahere, nisi ex præcepto eius, qui iubere potest. *L. Sciatis iudices. C. de his; que ex publica collatione illata sunt, Lib. 10. & alibi.* Pro quo P. Fragoſus *Tomo 1. pag. 921. num. 3.* Unde & in eo grauius peccant, cum restitutionis onere: neque enim illi partem aliquam Gubernationis habent in Republicâ, ut ad id, quod occurrit, ærarium debeant suo arbitrio Regium aperire. Circa quod sunt leges Indicæ statuentes quando & quomodo pro necessarijs sumptibus Regia debeat pecunia contribui. Illud autem specialis quæstionis est, an sufficiat Proregis mandatum, quando ad sumptus est extraordinarios, & non lege designatos. Et non sufficere quocumque, sed vrgens, post factas à Regiis Officialibus instantias, ut forma in hoc statuta seruetur, pro quo & ad Regiam Audientiam prouocatum. Doctè resoluit Dom. Solorzanus in *Politica Pag. 1027. s. Pero sin embargo, & seqq.* Vbi tamen cum distinctione loquitur. Quoad criminalem scilicet causam non vrgendos: quoad ciuilem autem lectus: & ita ad soluendum obligandos: quia id erga Regias pecunias neglexerunt facere, quod verosimile est facturos erga suas. Iuxta quam regulam omnes eos, qui facultates alienas administrant, se gerere in eorum tuitione debere, plures probant Textus

Obligatio soluendi in pecuniâ militibus.

Obligatio restituendi ex transactione.

Pecunias nõ posse extrahere, nisi ex præcepto superioris, in quacumque necessitate: Ex quo restitutionis onus.

Proregis mandato quomodo obligandum: Et quid distinctione D. Solorzanus utatur.



& Doctores ab eodem adducti. Si ergo pecuniam propriam non ita facile traderent, iubente Prorege: neque alienam, & maxime Regiam, tradere debuerunt. Quin etiam quod Principis mandatum non excusat, quando est notorie iniustum, & ita illi debuit reluctari. Nec timor, qui allegari potest, est cadens in constantem virum, sed vanus: Prorex enim non potest excusari descere ex adeo iusta petitione iad Regis seruitium spectante, qui & pro sui officij dignitate, fidelis ministri debet obseruantiam collaudare. Vnde & in facti contingentiâ sic contra quemdam iudicatum affirmat Paulus de Castro in l. 1. D. de iudiciis. Præterquam quod Officiarij publici non solum possunt conueniri ex dolo & lata culpa, sed etiam ex leui, & leuissima, vt post alios resoluit Menochius Lib. 3. Consilio 246. num. 61. In præsentem autem casu videtur euidentem culpam inueniri, quando pro obseruatione legum vtgentilium aliquid non adhibetur obstaculum ab iis, quibus earum obseruatio præsertim commendatur.

Contra illum sententiam aliqui obediunt penitus absolutis.

Distinctio alia videtur quæstio componi.

Indignatio Principis damnum notabile ex quo res est facta.

Robur ex desperato profectu resistentiâ.

19 Sic vir ille doctissimus, qui tamen alios ex Collegio aliter censuisse testatur; omnino absoluentes eum, qui iussioni est Proregis obsecutus. Et quidem rationes adductæ aliquod Officialium peccatum ostendunt, quod & tandem citatus Auctor esse fatetur, & rationibus præfatis euincit; licet id, quod ad civilem obligationem spectat, præcipue probare contendat. Potest autem sententia vtraque in concordiam redigi, si dicamus peccare grauius Officialem, qui Proregi non resistit eâ, quæ debet, reuerentiâ, stulte talis indolis sit, cui protestationes tales possunt securè proponi. Tunc enim statim annuere iubenti, & sic gratiam eius aucupari, cum leges grauius vigeant, non sine graui peccato stabit; immo & restitutionis suberit obligatio, ob malam administrationem: vt aperiant illi oculos, videantque caudata hæc crimina multum esse formidanda. Si autem Prorex vir duro ingenio sit, & qui impatienter ferat sibi non protinus obediri; obediat Officialis, si nolit indignationem experiri eius: id enim facere sine peccato potest, iuxta communem doctrinam Scriptorum, dicentium teneri quidem ad vitanda damna sub mortali, qui administrationem ex officio suscepit, & obligari ad restitutionem, si secus accidat: id tamen non sic habere, quando tale quid sine suo notabili damno præstare nequit. Pro quo videri potest Bonacina Tomo 2. Disput. 1. de Restitutione. Quæst. 2. Puncto 11. num. 5. P. Lessius lib. 2. Cap. 13. num. 69. 70. & 71. & alij apud ipsos. Esse autem damnum notabile indignationem Proregis, sicut & generaliter Principis, in eo, qui cum ipso frequenter est acturus, & qui adeo inferioris conditionis habetur; non videtur posse dubitari. Quod ex receptâ aliâ doctrinâ confirmari potest asserentium militem non posse stationem deserere, aut arcem tradere non defensam, etiam cum periculo vitæ, eo quod stipendio conductus sit ad huiusmodi opus vitæ periculosum; addunt tamen hoc ita intelligendum, si speret fore, vt defendendo stationem, aut tuendo arcem, præualeat contra hostem: hac verò spe sublata non tenetur certæ morti se exponere, nam id frustra esset. Sic ex P. Molina, & P. Filiucio,

aliisque Bonacina supra. num. 4. Atqui in casu nostro idem accidit, licet enim Officialis resistat, Prorex id est executurus: quod iubet ergo sublata spe profectus in resistentia; frustra illa erit, & ita pro eo obligatio nulla.

CAPVT V.

Obligaciones aliæ. Et de vitiatâ pecuniâ damnabile lucrum expunctum.

20 **S**unt præterea obligaciones aliæ, quæ communes sunt iis, qui aliorum substantiam administrant, & videntur ad solos bonorum dominos pertinere, vt mutare, remissionem debitorum facere, tempus solvendi prorogare, compositionem facere, expensas in recuperatione debitorum factas indulgere; vitiatam aliquomodo pecuniam admittere: circa quæ esse dubium nequit, nisi in solutionis terminis prorogandis: quia esse aliquando talis rerum concursus potest, vt illos prorogando, vitius Regio patrimonio confutatur. Si autem sterilitas, aut calamitas grauis occurrat, non spectat ad eos faciendâ remissio, sed ad supremos Magistratus, de quo dictum Titulo 1. Cap. 17. nisi forte in loco aliquo calamitas vigeat, vnde non possit ad Magistratus supremos recursus haberi. Indulgeatur ergo miseris, quibus cælum & terra videntur aduersari: à talibus enim solas lachrymas exigit, qui; quod non inuenitur, imponit: vt à Calliodoro dictum Lib. 12. 26.

Quæ non licent Officialibus dicta.

Sterilitas tempore quæ facta.

Quorumdam illorum infidelitas in reuisione vitiatâ pecunia.

21 Et quia de vitiatâ pecuniâ sermo incidit, cuius damna ex fabricatione & mutatione innumera his annis, non Indiarum modo, sed vniuersus ferè orbis expertus: illud hoc loco commemoratione quidem non dignum, nisi ad condemnationem, adnotasse præstabit. Monetam quidem optimam ex Regis iuribus in arcas eius illatam; sed ab aliquibus ad soluenda stipendia educatam, aliâ vitiatâ mutatam; & pauperum dispendiis Regios aliquos ministros incrassatos. Quod cum sit, non iam hoc licitum est, sed sub aperto sole latrocinia perpetrare. Quid si ij, quibus ex Regia pietate indultum est, vt primam post mutationis Edicta solutionem iurium Regiorum vitiatâ pecuniâ facere possent, ad puram & legitimam adigantur: & tamen illata pro vitiatâ mutetur, & hæc Regis arcis inferatur, pura & legitima, non iam à Regis, sed Satanæ ministris imbutata? Quid ad hæc dicam? nescio, nisi quod ad hæc auaritiæ portenta erubescere debemus, & Dei exemplare iudicium contra eadem implorare. Quando enim hi restituent, qui deuorant plebem Christi sicut escam panis? Quod si non restituant, quæ spes salutis, stante inconcussa veritatis regulâ 4. in 6. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum?

CAPVT VI.

De Officialibus ad iura Regia curanda in portubus deputatis.

22 **P**ræter obligaciones Officialibus omnibus communes aliquæ sunt quibusdam peculiâres, eo quod speciale ministerium

eo solet à mercatoribus indulgentia collaudari.

ministerium consequantur. Solet namque ex iis vnus in portu residere inspecturus quæ aduehantur & extrahuntur, & iura Regia collecturus. Et in talibus grauissima esse mercatoribus indulgentia solet, dum plura dissimulant simplici eorum testimonio contenti, qui & plura supprimunt, & merces pro mercibus referunt; quia inæqualia pro diuersis earum generibus sunt vectigalia decreta. Cum enim publicè exponi nequeant, sed arcis, aut iudicibus panis vel linteis inclusa accuratè confutis, dispici primo nequit aspectu quod fertur occultum; sed dicto mercatoris adhibetur fides, cum adminiculo formæ; quæ infarcimentis mercium solet pro earum diuersitate etiam applicari. Sed certè mediocri diligentia explorari omnia possent, sicut & numerus infarcimentorum & arcarum, quo & minor affirmari solitus quàm re ipsa sit. Et in his Officialis Regij benignitas collaudatur, qui bonum; vt dicitur, palagium facit, exactissimis alijs communi odio prægrauatis. Verum iis videretur dicturus Rex, quod quidam alijs: Non mihi placet ista charitas. Neque ego inuenio vnde iustificari illa possit, nisi ex voluntatis Regiæ benignâ interpretatione: de quâ ipsi constat, quia sic vbique seruatur, sciente illo, nec volente vasallos suos in vectigalium exactioibus scrupulosa inquisitione grauari. Sed mediocris quidem scrupulosa non est; nec video quomodo possit prædictis de huiusmodi Regis voluntate constare, à Rege ipso adeo remotis, & negligentiam circa hoc non leuiter punituro. Si præterea accedant munera, ex quibus euidenter fit in hoc nullum boni publici respectum haberi, sed auaritiæ imperio potius quàm Regiæ voluntati ministrari.

Vnde iustificari possit, quod tamen non probatur.

Negligentia & dissimulatio ab Auctoribus condemnatur, cum restitutionis obligatione, unde videntur prædicta.

23 Et Auctores quidem de hoc agentes, negligentiam istam, aut dissimulationem vno ore condemnant, & cum restitutionis obligatione. Pro quo videri possunt Bonacina Tomo 2. Disput. 1. de Restitutione Quæst. 2. Puncto 11. num. 11. apud quem Sayrus P. Azor, P. Valquez, Salo, Aragon, P. Rebellus, P. Molina, P. Lessius, P. Reginaldus. Quibus addendi P. Gaspar Hurtadus Disput. 5. de Restitutione Difficult. 10. ex communi, vt ipse ait, Doctorum consensu locutus. Cardinalis Lugo Disput. 37. de Iustitia num. 101. P. Dicastillus Lib. 2. de eadem Tract. 2. Disput. 4. num. 188. P. Fagundez Tomo 2. in Decalogum Lib. 8. Cap. 5. num. 6. & 7. P. Fragosus Tomo 1. pag. 522. num. 95. Cardinalis Toletus Lib. 5. Cap. 21. num. 2. Syluius 2. 2. quæst. 62. art. 7. de iure, Balsæus V. Restitutio 3. num. 17. Pharaonius Tract. 2. Sessio 2. Casu 16. Diana Parte 3. Tract. 5. Resolut. 54. & Parte 11. Tract. 6. Resolut. 18. cum citatis ab eo, qui aut obligationem etiam ad restitutionem poenæ incumbere affirmant, non quia poena est, sed quia damnum; vel si id de poenâ non admittunt, de damno fatentur: quia custodes vectigalium non constituuntur, vt Principes multæ ditentur, sed ad damna euitanda: ad damna ergo, & non ad poenas tenentur. Non videntur ergo Officiales dicti tutum conscientiarum habere per fugium.

Praxis tamem prædictorum.

24 Nihilominus quia viri alijs Christiani, & Regij seruitij zelatores non frigidus, eam non raro praxim amplectuntur, non penitus dam-

nandi, si vsum talium se dicant amplecti, quem mercatores bonâ præditi conscientia laudant, non laudaturi, si in eo manifestam iniustitiam deprehenderent: vt non laudent eos, qui, vt commode negotia expediant, muneribus volunt permoueri: potest tamen talis praxis in eo fundari, quod eo modo melius Regio patrimonio consulunt: si enim rigidi inquitores existerent, mercatores varias tentarent vias ad Regia vectigalia defraudanda, easque inuenirent: quia ad huiusmodi occultationes plures suppetunt administri. Iuxta quod P. Lessius verb. Restitutio Casu 15. Regium Theſaurarium excusat à delatione. Cum alijs propter varias Doctorum sententias circa obligationem ad vectigalium solutionem, se ad ea soluenda obligatos non esse communiter arbitrentur. Pro quo singulariter pugnat Ludouicus de Beia Parte 1. Casu 13. cuius doctrina hic applicari potest; quod scilicet consuetudo interpretatur animum legislatoris: ipsi autem Principes sciunt homines consueuisse gabellas defraudare, nec sibi à Confessoribus fieri scrupulum de restitutione: cum omnes ferè gabellæ quoad quantitatem & qualitatem sint dubiæ dari iuste: in pari autem turpitudinis causa potior est conditio possidentis Syluester V. Gabella 3. s. 14. Ad hunc modum cum sciant Principes Officiales suos hæc non ignorare, & eos vitales sita electione testentur, si iuxta id agant, quod diximus, non est credendum eos velle ad maiorem diligentiam obligare. Quando autem munera interueniunt, iam Ministri tales non sunt, quales suâ electione Princeps æstimauit: vnde incredibile est eorum voluntatem esse eandem, quæ circa alios. Et ita licet obligare amplius mercatores nolit, quàm generaliter obligati sint; Officiales tamen vult totum grauaminis pondus iniuncti subire: & ita ad compensationem damni ex integro constringere, ne ex turpitudine suâ lucrum se gaudeant reportasse. Quæ quidem verosimiliter dicta velim; aliorum melius sententium iudicio corrigenda. Quæ & dicta sint de Officialibus alijs in portubus constitutis: quorum aliqui nullo Regij patrimoniij cõmodo, aut publici statûs utilitate; sed maiori sorte, si tamen forte dispendio, proximis sunt annis multiplicati super numerum, vt rerum istarum experientissimi passim proloquuntur. Vide infra num. 55. & 123.

Probabiliter defenditur.

Discursus Ludouici Beia pro obligatione soluendi vectigalia in foro conscientia.

Casus presentis applicatur.

Præfati pro alimentis Regiorum ministrorum, quæ obseruanda. Et Præfati de emendo vitæ lori pretio.

25 Circa Prouisoem, eum scilicet, qui pro Ministris Regiæ classis, & alijs maritimis Officialibus alimenta comparat, seruat & opportunè distribuenda curat, obseruanda ista. Primum, illum grauius peccare si vili emat pretio, non sine violentiâ aliqua, & quasi id, quod minus habetur pretij, sit fructus industriæ, eam sibi partem retinet, quæ emenda essent, si quibus alius emptor accessisset: venditor enim, etsi infimo vendere pretio posset, non nisi medio vendere destinaret. Et certè si pretium minus infimo fuit, de obligatione restitutionis nequit dubitari. Si autem infimum; neque etiam tunc sibi, quod medietatem facit, potest acquirere, quia violentia interfuit, quæ inuoluntariam fecit venditionem: vt est Doctorum omnium consensione certissimum. Quod si vis absuit, & bono modo res acta est, ea certè industria debita est ratione officij: debet enim ita illud in utilitatem Regis exercere,